



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De exceptionibus. Consilium CXLI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

clausulam in tali supplicatione D. Philippi fuisse quoque adiectam, t. cū afflueret & solita facile præsumantur, l. certi §. si nummos in fine de reb. cred. Et ideo si evidenter probata esset excommunicatio; ex eo tamē, quod Dominus Nuncius huiusmodi supplicationi annuit, desuperque rescriptū concessit, absolutus censeri deberet D. Philippus, saltem quoad ipsam impetrationem, & sic impedimentum excommunicationis sublatum; quo sublato relinquatur utilitas & efficacia eiusdē rescripti, ut pote impedimenti causa sublata, l. Esi contra & ibi Bald. C. De nupt. cap. Post translationem de renunciat. gl. in c. Quia diligentia in si. De elect. Cardinal. Zabarella in c. Ab excommunicato vers. quarto deficiente causa, De rescript.

Cū igitur, Venerabilis Domine Præpositi, tam multa concurrant pro fundamento iurisdictionis vestræ & enervationum ex adverso obiectarum, accedente præsertim tam evidenti iuris dispositione superius allegata, ut dissimulandi vel connivendi nulla prorsus sit occasio; existimamus facile vos intelligere, quæ sint partes vestræ in interloquendo super altercatione partium circa cōpetentiam & incōpetentiam iurisdictionis mota.

De exceptionibus.

S V M M A R I V M.

Exceptio excommunicationis.

1. Excommunicatio obiecta intra dies probanda.
2. Cle. 1. De exception. & c. Pia cod. tit. in 6. intellectus.

CONSILIVM CXL.

IN altercatione, quæ est inter Dominum Ioannem Pinchon Actorem reconvenientem, & D. Ioannem Moral reconventum, nulla est iusta dubitandi causa in his, quæ pro parte Rei reconventi sunt proposita. † Nam quod Actor exceptionem excommunicationis pro repellendo eo à limine iudicii propositam per Reum ideo reiiciendam contendit, quod intra octo dies probata non sit iuxta iuris dispositionem, in c. Pia de except. lib. 6. satis probabile non est; ideo quod per Actorem ne nunc quidem negatum sit factum, quo Reus Actorem in vinculum excommunicationis maioris, ex c. Si quis suadente diabolo xvii. q. 4. incidisse contendit; & ex vulgato iudiciorum more non prius decurritur ad probationes, quàm factum negatum sit; eoque respectu non possit dici in ulla mora fuisse Reus quasi à die propositionis intra octo dies exceptionem non probaverit.

† Terminus enim ille octo dierum non currit; nisi posteaquam à iudice assignatus est, Clem. 1. de except. in v. termino peremptorio. quod bene tradidit Speculator in tit. De except. §. viso quando, vers. præfixo igitur termino; qui & praxim inducendi probationes & ferendæ sententiæ super propositione huiusmodi exceptionis ostendit. Et quamvis sint, qui hunc terminum octo dierum legalem esse putent, ideoque etiam sine assignatione iudicis decurrere; nemo tamen est qui non teneat hunc terminum non prius currere, quàm ipsa exceptionis huiusmodi obiectio, per iudicem vel partem sit admittita; sic ut si factio partis, cui obijcitur, non admittatur, aut si pars adversa replicando, aut contradicendo tempus extrahat, nihil id noceat

proponenti seu obijcienti huiusmodi exceptionem, Paul. Paris. conf. 109. Omisso vol. 4. Ant. Capycius decis. 83. quia scilicet admittenda nondum sit, ut eleganter ex Ioannis Andreæ sententia, tradidit Philippus Francus, in d. c. Pia. nu. 6. Cū itaque ipso die propositionis Actor ad objectionem huius exceptionis, terminum deliberandi petierit, & sic eandem non admiserit, sed demum nono vel decimo die deliberationem suam absolverit, ac deliberando de non admittendo eandem contenderit, nullā ratione permittendum est, Reus excludi ab huiusmodi exceptionis usu & probatione. Officium itaque magnifici Domini Reitoris erit, ut exceptionem hanc admittat, & eā admittā Actori terminum probandi præstituat.

De exceptionibus.

S V M M A R I V M.

Exceptio in crimine hæreseos.

1. 4. Heretico per Inquisitorem ad iudicem secularem misso an aliqua cognitio iudici seculari competat, an simplex executio.
2. Bartolus reprehensus in interpretatione. §. si verò crimen in Auth. De sanctis. Episc.
3. Index secularis causam hæreseos nec cognoscere nec scire debet.
5. Exceptio nullitatis an in causa hæreseos coram iudice seculari in executione proponi possit.
6. Sententia non valet à non indice lata.
7. Exceptiones in foro Ecclesiastico acquisita possunt proponi in foro seculari.
8. Index laicus de mero facto in spiritualibus causis cognoscere potest.
9. sententia à non iudice lata executioni mandanda non est.
10. Confessio nulla est qua fit coram incompetente iudice.
11. Minor in criminali causa etiam Ecclesiastica non potest stare in iudicio sine curatore.

CONSILIVM CXLI.

CONTROVERSI iuris articulus est, an inquisitione per iudicem Ecclesiasticum super hæresi facta, declarationeque hæreticæ pravitatis sublequuta, & Reo inquisito ad secularem iudicem misso, index secularis, ad quem Reus remissus est, merus & nudus tantum sit declarationis huiusmodi per supplicij illationem seu criminis punitionem executor, sic ut nullam notitiam vel cognitionem super eo sibi usurpare neque principaliter neque incidenter possit.

* Nam Bartolus, in l. Magistratibus de iurisdic. om. iud. & in l. Divus de cust. & exhib. reor. ulteriorem cognitionem permittit iudici laico, cui inquisitus de hæresi traditus est, per §. si vero crimen in Auth. De sanctis. Episc. coll. 9. in verb. & tunc competens iudex &c. Quam Bartoli sententiam in d. l. Magistratibus, sequitur Baldus, Paulus Castrensis, & plerique alij; sic ut Ioannes de Imola, in cap. 1. De off. ordin. dixerit hanc sententiā apud Legistas esse communem: pro qua etiam facere videtur illud, quod damnati ex hæresi per Ecclesiā relinquuntur potestatibus secularibus animadversione debita puniendi, in c. Excommunicamus. Verū Canonistarum opinio in c. penult. §. damnati de hæres. in contrarium est, quam etiam magis sequi videntur Alexander, Iason. Franciscus Curtius & plerique ex neote.

neotericis, in d. l. Magistratibus And. Alciat. in cap. perniciosum De off. iud. ord. propter expressam dispositionem Bonifacii Papae Octavi in c. Vt inquisitionis §. Prohibemus De heret. lib. 6. perquam potestatibus secularibus interdixit, ne de hoc crimine, cum merè sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscat vel iudicent; quam inde pro indubitata habent Canonistae, in d. c. De off. ordin. praesertim quod extare dicatur extravagans Constitutio Frederici Imperatoris, quā id expressè constitutum sit, & quam Inquisitores habent, ut ait Alexander, in d. l. Magistratibus, & quam non vifam à Bartolo, se vidisse testatur Angelus, in d. l. magistratibus.

† sic ut Bartolo & sequacibus hac in re adversus clarā iuris dispositionem, adhaerendum non esse existiment, dicentes Bartolum non rectè percepisse intellectum d. §. si verò crimen, cum loquatur alijs criminibus non merè Ecclesiasticis; nam & paulò post subiicitur versiculus iste, Si autem Ecclesiastica causa est &c. in quo dicitur nullam communionem habere Iudices civiles circa examinationem Ecclesiasticæ causae. * Vnde in crimine merè civili aut mixto, veluti sacrilegio, permittunt iudici laico cognitionem post traditionem; non etiam in merè Ecclesiastico, ut est hæresis, d. c. Vt inquisitionis. Pro quo etiam facit quod Iulianus Imperator nec hoc quidem permisit iudicibus laicis, ut talia negotia scire possint; & quod Baldus approbatam semel à se Bartoli sententiam, in §. si verò Ecclesiasticum in Auth. ut Clerici apud. prop. Episc. collat. 6. Auth. clericus quoque Cod. De Episc. & cleric. improbando dixerit in d. Auth. clericus quoque, remissionem hæretici, quam facit iudex Ecclesiasticus ad Iudicem secularem, fieri à superiore ad inferiorem, & propterea nullas alias esse partes iudicis secularis, quā ut exequatur non ut cognoscat.

Novissimè tamen has dissidentes opiniones sic conciliare nititur D. Ioannes Igneus, ad l. 1. §. cum dominus nn. 41. Ad s. c. Syllan. ut si praesente iudice laico, cui traditus est inquisitus, feratur iudicium, panditis eorā eo inquisitionibus, ut cognoscat, quibus medijs sanguinis iudicium ferre debeat, vera & tenenda sit Canonistarum sententia: sin verò absente laico iudice omnia sint facta, æquior sit Bartoli sententia; ne Iudices laici tantum lictores videantur sententiæ Inquisitorum, & sæpè in periculo versetur innocentia. Pro qua distinctione ac conciliandi ratione, multum facit textus iuris Canonici, d. c. Excommunicamus 1. §. damnati in verb. damnati verò praesentibus potestatibus secularibus &c. sic ut posterior illa Bonifacii VIII: constitutio, in d. c. Vt inquisitionis indicatè loquens ad illam priorem in Concilio generali editam trahenda, & secundum eam intelligenda sit, quod in iure interpretando non solet esse novum, l. Non est novum De legib.

Quod quidem ex forma projectionis seu traditionis & declarationis proposita; quod scilicet Reus coram laicis iudicibus vocari debeat, & seculares iudices sententiam condemnatoriam proferre debeant. Id enim est argumentum, notionem aliquam ipsi esse relictam, quod sine illā, sententia nulla rectè feratur.

Cæterum huius quaestionis & articuli scrupulo Conf. Wamel. Tom. I.

fior discussio ad rem propositam parum necessaria videtur; eo enim sine quaeritur, an Iudex, ad quem Reus inquisitus de hæresi proiectus est per inquisitorem nudus tantum sit executor, ut cognoscatur, num exceptio nullitatis declaratoriae sententiæ ex defectu personæ Inquisitoris coram eo obijci possit? * Nam quicquid dixeris, sive iudicem cum plena cognitione, sive mixtum executorem, sive nudum, semper & ubique pater via ac facultas proponendæ executionis, quæ ex nullitate sententiæ causatur; praesertim ex defectu iurisdictionis. Ea enim est omnium nullitatum maxima, quæ opponi potest etiā tunc cū aliæ exceptiones opponi non possunt, veluti adversus tres sententias conformes, Castren. in l. 4. §. condemnatum De re iud. late Sebast. Vantius in tract. De nullit. sentent. sub. Rubr. De nullit. sentent. ex defectu iurisdictionis: sic ut numquam censeatur exclusa, ne tunc quidem cum statuto vel lege exceptionis prohibentur, gloss. fin. in Clem. 2. De sequest. poss. & fruct. Felin. in c. Ex parte 2. De off. & potest. iud. deleg. quin velut in individuo, ut ait Franc. Curtius Iunior, in d. l. Magistratibus in fine. iudex secularis, cui inquisitus per Inquisitorem traditus est ad pænæ executionem, possit cognoscere de notaria nullitate ipsius sententiæ declaratoriae.

Cum ergo ex iure Canonico manifestissimè sit cautum in Clem. nolentes De heretic. nulli committendum esse inquisitionis officium, nisi qui quadragesimum ætatis annum attigerit, sic ut si contra fiat, commissio ipsa sit nulla; idque sive à Pontifice, sive ab Episcopo constituatur Inquisitor, gloss. d. Clem. Nolentes in V. committi. quam sententiam sequuntur & probant ibi Zabarella & Ioan. de Imola, etiā si clausula irritantis decreti non sit adiecta, per l. Non dubium C. De legibus bono iure potest dictus Reus coram praefatis iudicibus laicis obijcere adversus sententiam Inquisitoris quod tempore datæ sibi commissionis ac declaratoriae sententiæ non attigerit quadragesimum ætatis suæ annum. * Non enim hic quaeritur de iustitia vel iniustitia sententiæ seu de iure litigatoris, sed de potestate sententiam dicentis; quā non subsistente non potest intelligi aliqua sententia: est enim iurisdicatio fundamentum sententiæ, Bal. in Rubr. Si à non compet. iud. eleganter Guido Papa decif. 574.

* Et generale est ut quæcunque exceptiones, quæ in foro seu iudicio Ecclesiastico Reo acquiruntur, possint obijci & admitti debeant in foro laico, c. fin. de excep. lib. 6. sic ut cū tam potens sit huiusmodi exceptionum usus, possit iudex secularis vel adhibita cognitione super huiusmodi exceptione pronuntiare, iuxta notata per Franc. Curtium Iuniorem, loco supra citato; vel si pronuntiare nolit, abstinere ab executione. * Laicus enim iudex de mero facto cognoscere potest, & ad sui instructionem ac informationem recipere aliquas probationes circa obiectæ exceptionis veritatem; ita ut si veram comperiat, aut aliquid sit quod possit eum movere, possit superfedere ab executione, Bal. in l. Titia Soluta matri. Innoc. in c. De cetero sub. fine de sent. & re iudic. Vnde alibi dixit Innocentius in cap. Pastoralis De off. & potest. iud. deleg. ad V. iniustam. quod executoribus criminalium causarum, si sciant quemquam injustè damnatum, nolit consulere, ut in personam condemnati pænā exequantur.

9 exequantur. † Quo loco etiam addidit, quod sententiam latam à non suo iudice superior non debeat mandare executioni: quod Innocentij dictum eo loco sequitur, & notandum esse dicit Panormitanus. Cui consonat quod ait Ioannes de Imola, in c. 1. De off. ordin. alium iudicem non teneri stare processui facto coram iudice incompetente, per cap. At si clerici de iudic. * & quod ait Lud. Romanus, in d. l. Magistratibus, confessionem factam coram incompetente Iudice, cuius iurisdicatio prorogati non possit (qualis est is, qui nullā omnino iurisdictionem habet, l. privator. C. De iurisd. om. iud.) non nocere apud competentem; ut is ex ea contra confidentem possit procedere.

Admittenda itaque est hæc ex defectu ætatis à jure requisita obiecta deficientis iurisdictionis exceptio, eaque admittā, & summarie atque incontinenti probatā, vel declaranda nullitas, vel quod mavult Innocentius, superlegendum & abstinendum ab imperata executione. † Ad quod præfati iudices sæculares debent hic esse procliviores, quod hic agatur de puniendo minore viginti quinque annis, qui in universum etiam in criminali causa non potest in iudicio respondere nec stare sine autoritate curatoris, l. Clarum & ibi Doct. C. De author. præstan. Barr. in l. 2. §. quod observari C. De iurjur. propter calum. dan. Panor. in cap. pen. de iuram. calum. Et quamvis hoc crimen merè Ecclesiasticum sit, ideoque dubitari posset num excessus decimi quarti anni cum habilitet ad iudicium hoc inquisitionis, in cap. Si annum de iudic. lib. 6. ex ætatis tamen imperfectione admittendæ prædictæ exceptiones ex capite deficientis iurisdictionis in Inquisitore, major debet esse propensio, Matth. de afflictis decis. Neapolit. 208. Roland. a Valle consil. 31. vol. 1.

De Exceptionibus.

SUMMARIUM.

Exceptio litispendentiæ.

1. Exceptio litispendentiæ symbolizatur cum exceptione rei iudicatæ.
2. Exceptio rei iudicatæ qua requiratur.
3. Actionibus pluribus concurrentibus quando & quando sit actoris electio.
4. Concursum plurium actionum quando permittatur.
5. Instantia non transit ad singularem successorem.
6. Litigiosa res non efficitur per actionem personalem ad illam institutam.
7. Litigiosa vitium an per litis contestationem contra hatur.

CONSILIUM CXLI.

REGULIS juris ferè iisdem insunt, exceptio rei iudicatæ, & exceptio litispendentiæ, Felin. in c. Ex tenore nu. 19. vers. & generaliter De rescript. Unde quibus ex causis exceptio rei in alia lite iudicatæ nihil facit ad impediendum ingressum alterius novæ litis, etiam inter easdem personas, & ex eodem fonte; ex iisdem non potest novæ liti obijci pendentiæ ejusdem litis coram eodem vel diverso iudice in alia causa, Phil. Decius conf. 460. Viso puncto nu. 8.

* Ad hoc autem ut exceptio rei iudicatæ proponi possit, necesse est easdē esse litigantium personas, eandem rem, eandem petendi causam, & eundem petitionis finem, l. cum quaritur cum duab. seqq. De except. rei iudic. Quorum omnium concursus ad constituendam efficacem exceptionem litispendentiæ quoque necessarius est; & debet ea esse duarum litium inter eosdem successive inchoatarum conditio, sic ut sententia absolutoria in una, pareat exceptionem rei iudicatæ in altera. Marian. Socin. conf. 38. Pro decisione vol. 1. Decius d. nu. 8. Quæ præ oculis habendo facile deprehenditur, quod exceptio litispendentiæ pro parte M. Ioannis de Curte contra iurisdictionem Magnifici Domini Reitoris proposita adversus Antonium Amerotium Actorem, locum vel effectum habere non possit. Etsi enim ex eadem causa, hoc est ex literis Scabinibus, & promissione quondam Petri van Hamme authoris præfati M. Ioannis actum fuit coram Scabinis Lovaniensibus, ex quā in hac causa agitur contra dictum M. Ioannem ut maritum suæ uxoris hæredis dicti Petri, non sunt tamen per omnia eadem personæ, quæ in priorē illa lite coram Scabinis fuerunt, nequæres est Reus eorum, qui illam priorem litem instituerunt. Mutatio igitur personarum aliam atque aliam rem seu litem facit, & usum exceptionis litis alibi penditis excludit, l. Si cum uno De except. rei iud. Deinde non est idem actionis genus & finis petitionis utrobique: nam in prima causa coram dictis Scabinis Actores illius litis egerunt reali & executiva in effectu actione, per adductionem & iniectionem manus ad bona dicti Petri, in hac causa agitur personali actione ad præstandum bonum esse nomen seu redditum, quem Petrus quondam M. Hadriano Amerotio vendidit; quem M. Hadrianum dicti Actores in prima causa universali jure repræsentarunt & sic in effectu ex evictionis causa, quod vendiderit redditum hypothecatum, quem Actor hujus causæ dicit hypothecatū non esse; quæ quæ sint diversa, res ipsa apertè, demonstrat. Quæ quidem duo iuris remedia seu duæ actiones connexæ non sunt, sed ita separatæ, ut ex altera absoluto Reo, in altera non detur eidem Reo exceptio rei iudicatæ, & per consequens nec litispendentiæ. * Et quamvis in concursu plurium actionum plerumque Actor unam eligere debeat, & unā electā altera consumatur, tunc scilicet, quando ad eundem omnino finem & effectum tendunt, l. Quod in heredem §. eligere De tribut. actione. Vbi tamen finis alius atque alius est, idem non obtinet: unum autem non esse finem huius, quæ hic coram Magnifico Domino Reitore nunc instituta est, & illius quæ coram Scabinis contra dictum Petrum cæpta fuit, manifestum est; quia per illam velut prætorium pignus dumtaxat, seu missionem in bona & iniectionem manus Actores illi prosequuti sunt; per hanc dictus Actor, ut certiore via incedat, Reum sibi condemnari petijt ad contractus implementum, hoc est ad præstandum redditum; ut ad hoc tenetur qui redditum seu nomen vendidit, l. si nomen D. De hered. vel actione vend. * Quæ duo remedia accumulativè sic concurrunt, ut unus electione, altera non consumatur: ut est in concursu missionis in bona & personalis persecu-